SERENISSIMO REGIOQUE PRINCIPI

CAROLO ALEXANDRO

LOTHARINGIÆ, ET BARRI DUCI

&c. &c. &c.

PRO SACRA SUA CÆSAREA

ET REGIA MAJESTATE,

MARIA THERESIA

REGINA HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ

SUPREMO BELGII GUBERNATORI,

Dum poſt longam abſentiam rediret in Belgium, & Solemni pompa Bruxellam ingrederetur Die 23. Aprilis 1749.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MECHLINIÆ,
Typis LAURENTII VANDER ELST, Typographi in Foro.

Digitized by Google

Digitized by Google

FELIX IN BELGIUM REDITUS,
LÆTUSQUE IN URBEM BRUXELLENSEM
INTROITUS
SERENISSIMI DUCIS.

GRatia Cœlitibus! non irrita vota fuere;
Annuit è cœlo votis Deus. Anxia dudum
Patria, quem multis cumulans altaria donis
Optavit toties reducem, Divoſque popoſcit
Tot lacrymis precibuſque Ducem, jam miſſus ab Aula
Auſtriaca Magnæ Studio, donoque THERESÆ, Felix Sereniſſimi Ducis in Belgium reditus.
Incolumis noſtras tandem pervenit in oras
CAROLUS. I, reſcinde moras, i Belgica Mater
Ac poſito, quem jam propè toto ſqualida luſtro
Et bellis vexatâ, & tanto orbata tuliſti
Principe, nigro habitu, verſoque in gaudia luctu,
Magnanimo Heroi, Patriæque occurre Parenti,
Felicemque illi, qui nobis auſpice cœlo
Obtigit, adventum gratare in limina Belgî.
Fallor, an hortatus famâ priùs excita noſtros Occurſus Patriæ.
Prævenit fecunda Parens? en optima Mater

Digitized by Google

Deterſis lacrymis, & prodens gaudia vultu,
Cincta choro Nympharum, & turrigero comitatu
Præſentem extremo Belgî ſe limite ſiſtit,
Adventu ſuſpenſa Ducis. Lucente ſmaragdo
Et variis radians gemmis illam ornat amictus
Verſicolor, cingunt pretioſa monilia collum,
Et gemina pendent teretes ex aure lapilli,
Dives ab eois quos India miſerat oris.
Qualis in oceani ſtans litore Nata Parentem,
Quem notus adverſus tumidi trans æquora ponti
Cunctantem ſpatio promiſſo longius anni
Detinet à patriis laribus, ſpe plena metuque
Sollicito, & crebris miſcens ſuſpiria votis
Exſpectat reducem, nec vultum aut lumina ponto
Summovet, atque oculos ſemper defigit in undas,
Si fortè aſpiciat, carum per cærula Patrem
Quæ vehat, allabi ſperatam ad littora puppim,
Talis in extremis ſtans Belgî finibus, unum
Non niſi Tutorem Patriæ tot vulnera paſſæ
Belgica ſuſpirat CAROLUM, nil præter amantem
Belgarum CAROLUM votiſque oculiſque requirit;
Vicinæ CAROLUM reſponſant undique rupes.
Ergò ubi jam primùm, toties quem mœſta vocarat
Tot fruſtra CAROLUM votis, proſpectat ab alto
Colle propinquantem, celeri mox obvia greſſu
Vix ſe, vix capiens hilari ſua gaudia mente,
Nympharum longâ Matrem ſubeunte catervâ,
Prodit in occurſum, pedibuſque advolvitur ultro,
Atque illum ſupplex ſic ore affatur amico.

Oratio ejuſdem ad Ducem proſphonetica.

Ergo ades Auſtraſidûm Genius alto à Sanguine Regum
CAROLE DUX! Lotharæ Stirpis Decus! inclyta Gentis
Gloria Belgiacæ! ſpes & tutela meorum!

Nec

Nec Tibi FRANCISCUS Magna cum CONJUGE Frater,
Quos penes Imperii, vaſtæque eſt ſumma poteſtas
Teutoniæ, nec cara Soror, carique Nepotes,
Ipſe nec ad ſummum creſcens JOSEPHUS honorem,
Nec quas progenuit Nepotes Tibi Cæſar uterque,
Injecere moram! ſic atria celſa Viennæ
Ac tot Cæſaribus claram Victoribus aulam
Belgarum Studio potuiſti linquere, & Iſtro
Ingenti gaudes humilem præponere Sennam!
Uſque adeo Te traxit amor, per longa viarum
Ut ſpatia è celſis noſtro procul orbe remotis
Belgiadûm miſerans tot caſus ipſe venires
Auxilio, & populi diro jam Marte jacentis
Exutique ſuis opibus, quas miles avarus
Abſtulit, attritis ferres ſolatia rebus!
O Amor! ô animi virtus generoſa Paterni!
Quid non aggrederis? non Te regionis egeſtas,
Non labor aut curæ, non mille pericula terrent,
Ut benè ſit miſeris. Tibi per me digna referri
Gratia quæ poſſit! Deus hæc, Deus ipſe rependat!
Namque opis haud noſtræ eſt. At Tu, Celſiſſime Princeps,
Hos Tibi quando animos Deus idem inſpirat, & iſta
Pectore cura ſedet, lapſis ſuccurrere rebus
Belgarum, macte his animis, ſemperque benigno
Meque, Meoſque Tibi devotos reſpice vultu.
Belgica ſic Mater: Dux illi fronte ſerena,
Annuit, atque cito Bruxellæ ad mœnia curſu
Tendit iter, non qualis equo conſuevit in hoſtem
Tendere, & obſtantes ferro perrumpere turmas
Ore minax, fortiſque manu, metuendus & enſe
Fulmineo, ardens, ſed qualem mitia poſcunt
Tempora, pacifera crines redimitus olivâ.

Proceſſus Ducis Bruxellam verſus, & Comitatus Virtutum, quæ illi magis ſunt propriæ.

Aſpicitis ? clarum Heroem circùm undique cingit
Virtutum numeroſa cohors; præit optima rerum
Belgî infelicis Pax ſolatura labores,
Et, quæ jam Regum Bellonæ ſciſſa furore
Pectora conjunxit dulci Concordia nexu.
Atque utinam longos teneat conjuncta per annos!
Inque vicem jungunt dextras fidiſſima Paci,
Et nullo Martis, nullo turbata tumultu
Armorum ſecura Quies, & grata colonis
Ubertas agrorum, ac jam reſoluta catenis,
Atque erepta jugo Libertas aurea, & urbes
Quæ levet ærumnis, è divite Copia cornu
Munera diffundens; oleæ pacalibus omnes
Frondibus ornatæ crines, dextráque gerentes
Ramum oleæ, niveaque omnes in veſte nitentes.
It dextrâ Pietas cœlo gratiſſima virtus,
Caſtaque Relligio, & ſacri Reverentia cultûs,
Et conſtans ſine labe Fides, & neſcia flecti
Integritas, dubiiſque ſagax Prudentia rebus,
Fortis & adverſis Mens caſibus, atque ſecundis
Temperies moderata, quibus ſociata rebrum
Diſcutiens noxas, & convenientia cuivis
Præmia decernens digno, indignumque repellens
Juſtitia. His hærent miti Clementia vultu,
Quæque ornare ſolet Lotharos, placidiſſima morum
Gratia, dans faciles aditus, nec plebis & imi
Afflatus vulgi contemnens, mitia corda
Belgarum ut moveat, gravitate potentior omni.
Sublimi lævâ graditur virtute decorus
Et titulis illuſtris Honor, cui Gloria factis
Grandibus inſignis cingit latus; ambit euntes
Ducta per antiquos, longo quos ordine priſci

Auſtraſidæ cenſent, Proavos, quoſque ardua virtus
Miſcuit heroum ordinibus, cœloque locavit,
Nobilitas, Lotharæque Domûs tot clara virorum
Nomina tranſmittens ad ſeros Fama Nepotes.
At, nequid temerè in Belgas vis hoſtica tentet
(Quod Superi avertant patriis à finibus omen!)
Martia ponè ſubit caſtriſque exercita Virtus,
Et Labor, & caſûs ſolers Vigilantia in omnes
Intentos ſervans oculos, belliſque gerendis,
Quas poſcit Mavors, experta Scientia rerum,
Et dubiis cautè Prudentia caſibus inſtans,
Longaque Divarum ſeries; comprendere verſu
Quas hîc Muſa nequit; produnt ſua gaudia læto
Et vultu, plauſuque omnes, & carmina dicunt,
Carmina, quæ Lotharum tollunt ſuper æthera nomen,
Feſtum omnes CAROLO reduci pæana canentes.
Tot claris ô Salve ingens Virtutibus Heros,
Grande Decus Gentis Lotharæ, digniſſime Salve
Auſtraſidûm Sanguis; ſimul & digniſſime Magnis
Tot Proavis, Atavisque Nepos, atque agmine pulchro
Undique Virtutum Septus felicibus Urbem
Bruxellam auſpiciis, Diviſque Deoque ſecundis
Ingredere. En ſeſe portis effundere geſtit
Pene ſuis urbs mota locis; primi ordine longo
Sublimes in equis, oſtroque auroque micantes
Occurrunt clari Proceres, Sanctuſque Senatus,
Atque haud una Patrum, Themidos qui jura tuentur,
Curia, & inſignis trabeis, cui civica paret
Turba, Magiſtratus; prono qui pectore ſupplex
Portarum defert claves, & corda ſuorum.
Neve deeſſe putes ſtudia effervertia vulgi,
Immiſti pueriſque ſenes, ſenibuſque puellæ,

Lætus ejus Introitus in Urbem Bruxellenſem.

 Matro-

Matroniſque nurus, atque omnis ſexus & ordo,
Procurruntque, ruuntque alacres, ardentque videre,
Antè ſibi conſpecta licet ſint, Principis ora,
Et plauſu atque hilari teſtantur gaudia vultu.
Atque utinam, ut vultus, ità poſſes corda tueri
CAROLE! conſpiceres, Belgarum pectora quantus
Urat amore Tui, ſtudiiſque ardentibus ignis,
Et medias ſerpens depaſcat flamma medullas.
Dum loquor, ecce Ducem ſubeuntem mœnia, feſtos
Indigenarum inter ſtrepitus, millenaque vota,
Quæ reddunt memores ſalvo pro Principe Magnis
Cœlicolis, habitata ſibi, dum Martia nondum
Arma infeſtarent Patriam, ad palatia ducunt;
Ære ſonant turres, tormentis mœnia, plauſu
Lætitiæque viæ, CAROLUM cuncti undique cives
Ingeminant, Montes ipſi clamore reſultant.

Plaudentis Populi præſagia ex ſuperiori ipſius Gubernatione.

Scilicet haud vanam tot gaudia ubique ciendi
Materiem conſentit hoc rerum cardine Belgæ,
Atque ex præteritis ſibi commoda deinde futura
Præcipiunt animo; ſed enim meminere, priori
Tempore quàm blanda morum dulcedine, quantis
Conſiliis, qua mente ſagax, quave indole noſtras
Rexerit auſpicibus Divis feliciter Urbes
Invigilans rebus Patriæ, multuſque foverat
In Belgas illius amor, ſtudiumque paternum,
Ac vigiles curæ, manet alta mente repoſta
Mens facilis, candorque, & cunctis æqua voluntas
Auxilium præbens miſeris, ſolatia mœſtis.
O ubi, qui terris ſoles fulſere ſereni
Tunc Patriis, cùm, dira licet procul arma moveret,
Atque alias ſæviret atrox Bellona per oras,
Tu Cara interea cum Principe Conjuge Princeps

CAROLE

CAROLE commiſſas regeres tranquillus habenas;
Securus dum Belga ſuos in utroque Parentes
Suſpiceret, quorum pariter flagrabat amore,
A quibus & pariter ſeſe gaudebat amari!
Heu ſpes humanæ fragiles! ut triſtia lætis
Incurrunt tranſverſa! Tibi vix totus amicis
Incipis oſtendi Belgis, cùm flumina Rhenus
Jam ſua non patiens ultrà captiva teneri
Te ſubitò revocat, contraque hoſtilia Galli
Agmina, queis ſeſe Bavarorum exercitus omnis
Junxerat Auſtriacis intentans ultima terris
Exitia, & clades ardens reparare priores,
Auxilium, DUX Magne, Tuum, vireſque timendas
Hoſtibus implorat; ſic & jubet ipſa THERESA!
In mediis perſtans REGINA immota periclis,
Speſque ſuas Lothari in dextra ac virtute reponens.
O quantum, dum tantus abit Dux, Belgica perdis
Præſidium! atque utinam, quando res dura coëgit,
Orba ut Patre foret Patriæ, ſervata fuiſſet
Incolumis Mater! leviùs tua damna tuliſſes,
Vitam aliquâ certè duxiſſes parte beata,
Forſitan & patriis manſiſſet gloria rebus.
Eloquar, an ſileam? ſpes hæc, tunc unica Belgis
Occidit, heu! pariterque omnes ſpes invida noſtras
Abrupit Libitina, & funere merſit acerbo:
Tempore & ex illo Belgis res publica cœpit
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri.
Prodiit interea Gallorum è finibus ira
Infrendens Mavors, ferroque armatus & igni,
Tranquilloſque ferens in Belgas impulit haſtam
Immeriti ſignum Belli; jamque impete magno
Ferratas Jani portas ſoror horrida Martis

Diſceſſus ejus in Germaniam Belgio funeſtus,

Superveniente Bello atrociſſimo Patriam infeſtante.

Laxabat

Laxabat Bellona! tremiunt juga pulſa fragore;
Audit & Euphrates ſonitum procul, audit & Indus,
Ac ſeptemgemini trepidant ipſa oſtia Nili.
Mox facies terrorum omnes, luctuſque, pavorque,
Plurimaque in populos contuſſos mortis imago
Incubuere; timor gelidus præcordia pulſat.
Hei mihi! quas campis acies, quas Belgica ſtrages
Infelix oculis hauſit! quis ſingula fando
Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolores
Lugentis Patriæ? quoties liventia fletu
Lumina ſuſtollens Te luctu oppreſſa vocavit
CAROLE, & abſentem voto quæſivit inani!
Cæſorum quoties jacuere aggeſta per agros
Corpora! quot fuſo manarunt ſanguine rivi,
Ipſaque ſanguineis quot flumina tincta cruore
Defluxere viis! augebat fletibus undas
Sæpe cruentatus Scaldis Pater; aſt, ubi ſenſit
Raptari ſub aquis tot fortia corpora, & arma,
Extemplo attonitus ſtagnantibus horruit undis,
Ingemuitque dolens, fundumque refugit ad imum;
Mozaque tum didicit denſata cadavera pleno
Amne vehens pelago tardos immittere fluctus.
Sola nec adverſos doluerunt flumina caſus:
Jam ſegetes perculſa Ceres, jam prata Napææ,
Jam ſaltus Dryades, ſciſſa dum veſte dolerent
Excidi Sonias quercus, annoſaque Silvæ
Robora, dum fruſtra gemerent vicina Namurco
Evelli penitus nemora à radicibus imis,
Deſeruere, vacant ipſi cultoribus agri,
Collectis trepidè nummis fugiente colono.
Quid memorem everſas urbes, labefactaque fundo
Mœnia, & ardenti fumantia pulvere tecta,

Atque

Atque ipſa, infandum! Divorum templa, ſacraſque,
Dum ſuper illapſa eſt prægnantis maſſa metalli,
Confractas, rapidiſve exuſtas ignibus aras?
Ruſtica nil refero disjecta mapalia, cives
Nudatos opibus, majori parte minutos
Nobilium cenſus, exhauſta æraria, &, ira
Quantum inferre valet Martis, genus omne malorum.

Ex ſubſecuta Pace ſolatia ſed imperfecta,

Quò raperis dictû nimium miſeranda revolvens
Muſa levis? quid luce bonâ tot gaudia turbas?
Quóve juvat tantos Patriæ renovare dolores?
Fallimur: haud res eſt omnis dulcedinis expers
Et vulnus manibus tractare, oculiſque tueri,
Dum coiit; viſis creſcunt ſolatia plagis.
Gratia ſit Superis; pene eſt obducta cicatrix
Vulneribus Belgî, rediit pax candida nobis,
Atque erepta jugo ſeſe ſibi Patria reddi
Senſit, & indigno ſolvit ſe Belgica luctu,
Servitio pariter duro, vincliſque ſoluta
Plaudentes volvunt ſpatiis majoribus undas
Flumina, & erectis incedunt cornibus amnes.
Quin & Gradivo manibus cecidere remiſſis
Horrida fax, & adhuc ſtillantia cædibus arma:
Mitior ipſe procul Geticas, queîs præſidet arvis,
Iraque & rabie poſita, migravit in oras,
O utinam nunquam rediturus! protinus omnis
Illius imperio Mavorti ſubdita pubes
Extera deceſſit, ſimul exceſſere Gradivi
Aſſiduæ comites impune Licentia graſſans,
Falſaque Relligio, & ritus contemnere ſacros
Audax Impietas, aſſuetaque vivere rapto
Turpis Avarities, & Amor ſceleratus habendi
Fanda, infanda audens, portenta immania averni,

Utque, volente Deo, punirent crimina ſontis
Europæ, in terras Stygiis emiſſa cavernis.

Pleniora verò ex reditu Ducis.

At non tam Patris Armigeri, comitumque ferocis
Bellonæ exceſſu, & clauſo per fœdera Jano,
Ac requie Populis conceſsâ Belgica gaudet,
Quàm reditu, DUX Magne, Tuo; plenam ille beatis
Belgiadûm terris lucem dedit; ille ſerenos
Poſt tenebras nobis tribuit ſplendeſcere ſoles.
Sic, ubi purpureas roſeis invecta quadrigis
Exſurgens pelago valvas Aurora recludit,
Diffugiunt ſenſim tenebræ, noctiſque profundæ
Horror abit, ſed, cùm totum fulgentibus orbem
Illuſtrat Titan radiis, pleniſſima terris
Gaudia ſuccedunt, capiuntque ex Sole vigorem
Cuncta novum, vegetiſque ſubit præcordia Sanguis.
Pax nobis Aurora fuit, ceſſere tenebræ
Lethiferi Martis, gaviſa eſt Patria plenum
Haud procul eſſe diem, ſed, quando, CAROLE, noſtrum
Par Soli radiis afflas propioribus orbem,
Belgiacis facies rerum venit altera terris,
It melior populo ſanguis, rurſuſque vigorem
Concipit, & plenum perſentit Patria Solem.

Hinc tot Bruxellæ Lætitiæ ſigna.

Hinc, non immeritò, tanto Bruxella paratu
Hunc celebrat reditum, feriuntque tot æthera voces
Lætitiæ teſtes: nec enim celebratior unquam
Viſus in Urbe dies, reſonant lituique, tubæque
Undique feſtivo cantu; non ſtrata viarum,
Non fora, non vici, non angulus ultimus urbis,
Non domus ulla vacat ſonitu, fremituque ſecundo.
Ipſe Pater viridi ſe cingit arundine Senna,
Lætitiaque tumet, ſolitò majoribus undis
Altiùs aſſurgens; circùm longo ordine plaudit

Naïadum

Digitized by Google

Naïadum innexus manibus chorus omnis, & ipſas
Scire putes undas, cui plauſibus inſonet æther.
Veſpere ſed ſero collucent omnia flammis
Innocuis, lucem credas fulgêre diurnam,
Ipſaque ab accenſo latè nox vincitur igne.
Quid memorem ornatus domuum, quid fixa per omnes
Lætitiæ monumenta vias, quid & agmine pulchro
Turmam incedentem Studioſæ Pubis equeſtrem
Magnifico cultu, gemmiſque auroque micantis,
Quidve tot erectos arcus, nubeſque ſub ipſas
Eductas moles, Lotharæ quibus inclyta Gentis
Nomina, & inſcripti tituli, & Tua geſta leguntur,
CAROLE, nobilibus verſu conſcripta Poëtis.
O mihi ſi detur, quanquam inferiore Camena, Res à Duce præclarè geſtæ.
Vatibus his in partem aliquam ſuccedere cantûs!
O ſi tam faciles adſint Helicone Sorores,
Et tantus menti veniat calor, ut Tua digno,
Maxime DUX, pariter celebrem præconia verſu!
Non ego carminibus revocabo exordia Stirpis
Auſtraſiæ, non tot Proavos, quos fama ſuperſtes
Et pace, & bello illuſtres invexit olympo,
Hìc referam; non & clarum virtute Parentem,
Non & Avum Carolum, quem non tam nomine, magnis
Quàm factis & mente refers, quique inclytus olim
Tot Mahometigenûm partis ex hoſte triumphis,
Inſignis claro victor certamine ſolvit
Obſidione ſimul, ſimul & terrore Viennam,
In cœlum extollent noſtræ ſuper aſtra Camenæ.
Scilicet haud aliunde petis præconia magni
Nominis, Auſtraſio dignum Te ſanguine præbens,
Alteriùs nec laudis eges: ſic pulchriùs aſtra,
Lucidiuſque micant, proprio quæ lumine fulgent.

At nec læta Tui repetam primordia Martis
Adverſus Turcarum acies, cum ſævà tot inter
Fulmina Gradivi, tormentorumque fragores
Te vultu impavido, & generoſo pectore ſtantem
Attonitus ſtupuit miles. Dicam ardua bella
Marte tuo, fortique manu, & felicibus auſis
Geſta Tibi: dicam per Te ſervata Potenti

Servata ab illo Auſtria.

Hungaridûm DOMINÆ tot propugnacula & urbes
Auſtriaci tractûs utriuſque, ipſoſque Viennæ
Exemtos terrore gravi, & formidine cives.

Boruſſus miles, atque Saxonicus, coacti Moraviam relinquere, in Bohemiam recedunt,

Deinde canam, Moravûm è terris fugiſſe Boruſſos
Saxonicis auctos turmis, ſpirantia Martem
Agmina & ardentes pugnam miſcere cohortes
Dum contrà éducis campo, Pruſſoſque tueris
Cedentes retro indecores, atque omnia Getitis

* *Brinn opp. in Moravia.*

Oppida, quæ * Brunam præter ſubtraxerat hoſtis
Auſtriadûm imperio, recipis ſine cæde tuorum.

Inſequente CAROLO.

Ponè legam præclara tui veſtigia Martis,
Et Tecum ingrediar Victricia ſigna ſecutus
Regna Bohemorum, Teque undique terga prementem
Saxonis & Pruſſi referam, nec & ipſa ſilebo

Pugna Czazlaviæ.

Prælia Czazlaviæ fruſtra jactata Boruſſo.
Eſto, ille extremus, longo à certamine, campo
Perſtiterit pugnæ, ſenſit Boruſſia, ſenſit,
Czazlavica hæc quanto ſteterit ſibi pugna cruore
Et tenuis multas æquarit gloria clades.

Felicia eſt hoc prælio eventa, pacem ineunte Boruſſo, & fugato Gallorum exercitu,

* *Tein in Bohemia.*

Interea in caſtris Tu perſtas CAROLE eodem,
Quo ſteteras paulò antè, loco, gaudetque potiri
Se poſſe optatâ, poſt prælia, pace Boruſſus.
Quid quod & ad * Tetinam Gallos cædiſque fugaſque,
Moldavicumque ultra compellis cedere flumen,

Qui demum incluſus Pragæ fu-

Dum totus ſeſe Francorum exercitus arctè

In-

Incluſum tandem gemit intra mœnia Pragæ,
Unde virûm è tanto numero vix millia dena
Evasêre fugâ; veniunt vix quina ſub Egram,
Frigore corporibus duro, macieque pereſis;
Atque ità ſe veteri Dominæ Bohemia reddi
Gaudet, & Autorem CAROLUM, Ultoremque ſalutat.

gâ deinde ſibi conſulit, militibus ad paucos redactis.

Univerſâ ſic Bohemiâ Reginæ redditâ.

Tum domito partos memorabo ex hoſte triumphos
Et fuſos acie Bojos Mavorte ſecundo,
Præcipuis cæſis Ducibus. Braunavia facti
Tu mihi teſtis eris; nam pene è mœnibus urbis
Ipſa tuis hauſiſti oculis tot ſparſa per agros
Funera, tot Bavarûm data pectora fortia letho,
Nequicquam Minuzziade Ductore paventes.
Hortatu multo revocante in prælia turmas,
Dum lentè intereà tardans ſuccurrere Gallus
Funeſtam ſtragem procul inſpectaret amicæ,
Et ſibi non uno conjunctæ fœdere gentis.
Scilicet ille fugam, conſpecta clade, citatus
Arripit, & celeri curſu feſtinat ad Iſtrum.

Victoria ab eo parta de Bavarorum Duce Minuzzi.

Quæ ſeges hîc laudum ſurget fecunda tuarum
CAROLE! nempe omnis tanto perterrita caſu
Succumbit devicta Tuo Bojaria Marti,
Et ſua Reginæ tandem famulantia ſubdunt
Colla renitentes fruſtra cum civibus urbes,
Attonitâ Monachi fugiente è mœnibus Aulâ,
Vindelicoſque ultra ſedes quærente remotas.
Hæc mihi, ſi Muſæ faveant, ſi dexter Apollo
Aſpiret; grandi maneant celebranda cothurno.

Tota Bavaria ſubjugata.

Fas nec erit reticere, redux poſt prælia victor
Quî Palatinas urbes, vicinaque ripis
Danubii Auſtriadûm ſubmiſeris oppida dulci
Multa jugo, poſtquam tantis progreſſibus hoſtes

Occupatus Palatinatus Superior.

Fugiente Hoſtili Exercitu.

Perculſi, lapſiſque haud fiſi viribus urbes
Deſeruere. Addam, tranſmiſſis amnibus Iſtri,
Atque Ilaræ quando properè fugientibus inſtas
Exutos caſtris Gallos, opibuſque, ſuiſque
Curribus, & centum, quodque ulteriùs eſt, Matte triennî
Millibus amiſſis funeſta morte ſuorum,
Quos aut dira fames, frigusve, aut lethifer enſis
Aut morbi abſumſere graves, ſine honore relictis
Urbibus, expulſos Bavaris de finibus omnes...
Haud ſatis hæc noſtris, quanvis ſint grandia, Muſis:

Purgata omni milite externo Germania.

Subjiciam nimirum oculis, formidine curſum
Accelerante gravi, ſpatia hos per longa viarum
Teutoniæ totis fugiendo excedere terris,
Imperioque tuo fugientûm terga premente
Milite Pannonio, non antè abſiſtere, Rhenum
Quàm feſſi attigerint, & vaſto flumine demum
Tranſmiſſo Alſatiis requies ſibi detur in oris,
Teutonibus Victorem uno celebrantibus ore.
Scilicet illa Tibi nullo delebilis ævo
Gloria debetur, quòd ſe tam viderit omni
Milite ab externo gaudens Germania tutam,
Ancipiti deinceps pariter ſolvenda periclo,
Si modò junxiſſet ſemper concordia mentes.

Trajectus Rheni memorabilis.

Præ reliquis tamen admirans, plenuſque ſtupore
Extollam, Duce Te, trajecta ingentia Rheni
Flumina: nam quis non ſtupeat latùmque, profundùmque,
Ac rapidum curſu commiſſum pontibus amnem,
Dum ſua caſtra tenet non longè à margine ripæ
Oppoſitæ junctus Bavaris exercitus omnis,
Francorum, aſſiduè obſervans molimina, & ipſos
Militis atque Tuos, Ductor fortiſſime, motus?
Ipſe Pater Rhenus, latè fulgentia ſignis
Agmina, & Hungaricos procul adventare manipulos,

Digitized by Google

Ad ripam fluvii tacitos, ponteſque parari
Dum videt, extemplo primùm conterritus hæſit,
Aſt, ubi conſtringi ſenſit ſua flumina vinclis,
Et ſe non uno captivum ponte teneri,
Undique commotis tremefactus inhorruit undis.
Sed virtus aditus aperit, tentare puſillæ
Quos horrent mentes. Hâc nixus trajicis amnem,
Carole, & Auſtriacas, extructo ponte, cohortes,
Securus quid Gallus agat, perducis in arva
Alſatiæ fidens animi, certuſque paciſci
Sanguine Victrices dubia inter prælia lauros.

Quàm longè, lateque patens hîc area noſtræ
Pandetur Muſæ! Generoſus nempe Nadaſtus,
Milite qui plenis ratibus, multoque per undas
Pontone immiſſo, fluctus ſuperarat aquarum,
Aggreditur primùm Boios nil tale timentes,
Et tua juſſa ſequens, dum fruſtra obſiſtere tentant
Arreptis ſubitò, manibuſque trementibus, armis,
Attonitos ſternit latè, volvitque, ruitque;
Fit fuga, cæduntur, Bavaris tentoria campis
Fixa manent, & præda ingens, ac gaza relicta;
Pannonius ſpoliis miles ditatur opimis.
Parte alia, rigidis nomen qui traxit ab Urſi
Unguibus, haud molles tactu quos Gallicus olim
Accederis propiùs toties jam ſenſerat hoſtis,
Senſerat & Bojus, dum non procul inde futurum
Trajectum ſimulans, inſignis Daunius armis
Ære tonat multo, centumque vomentia ferrum
Et flammas tormenta minax diſplodit in agmen
Oppoſitum, & Gallos diviſos detinet aſtu,
Vi magnâ ſuperat flumen, cæditque fugatque
Adverſos; illi ſubitò terrore paventes
Omnes tuta petunt, Oppenhemioque relicto,

Res geſtæ in Alſatia, perſtrictâ obiter præcipuorum Ducum militari virtute.

Wormatiæ tandem curſum ſub mœnia ſiſtunt.

Rapidus progreſſus rerum in Alſatia geſtarum.

Quis mihi nunc rapidos, trajecto flumine, rerum
Progreſſus, quis magna Tibi tot geſta Secundo
Numine in Alſatiæ campis, bello inclyte Princeps
CAROLE, commemoret? Quis capta tot oppida & arces,
Hoſtilemque fugam, ſuperataque valla, minaſque
Foſſarum ingentes, & tot trajecta fluenta,
Et res tam varias, quæ, quanquam longius anno
Exigerent tempus, ſpatio evenere bimeſtri,
Te digno celebret cantu? vix nempe catenis
Vinctus erat Rhenus, fruſtra cùm multa reluctans
Haud leviter vallo ac muris circumdata, & ipſo
Opportuna loco, quà Rheni gurgite Lutra

Lutraburgum (Lauterbourg) & Weiſſenburgum ſe dedunt.

Se miſcet, Tibi tandem Urbs Lutraburgica collum
Inflectit, bis mille viris in vincula raptis.
Quid referam, pariter Tibi Weiſſenburgica ſubdi
Mœnia, quæ, cùm, Te ſic deſuper mandante, fuiſſent
Præſidio vacuanda, tamen defendere contra
Totas Gallorum collectas undiquè vires,
Hoſtili multo conſperſis ſanguine campis,
Audaci incœpto, numeroque & viribus impar
Suſtinuit, potuitque ingens virtute maniplus
Hungaridûm, æternum quærens in ſecula nomen.
Ardua res, & longi operis, percurrere verſu
Singula. Quis cuncta expediat, memorare canendo

Munimenta foſſis præcincta Sebuſii (Weiſſenbourg) & Moteræ fluvii (Mottern) expugnata.

Si tentet, firmata altis munimina foſſis
Sebuſii veteris, Moteræque ingentibus auſis
Et forti ſuperata manu, Galloſque paventes
Cum Bavaris retrò vertentes terga, relictis,
Corda metu pulſante, Hagenoæ mœnibus urbis?
At tacitum nullus meritò, indictumque relinquat,
Quî miles tuus Hungaricus, Ductore Nadaſto,
Armatâ ferro dextrâ vi ceperit urbem,

Quam veteres olim Alſatias dixere Tabernas,
Præſidio impoſitis ferali cæde peremtis
Militibus, cædem dum vindicat ipſe ſuorum,
Quos Weiſſenburgî Gallorum ſuſtulit enſis.
Non ego, quando ingens Nadaſtius, urbe relicta,
Prodiit in vaſtos ſubiturus prælia campos;
Francorum deletum agmen, & proſtrata ſilebo
Corpora mille virûm, ſudantiaque arva cruore,
Diſperſis aliis, * Argentinamque trementem,
Dum gemit à validis longè diſcedere muris,
Queîs Patriæ commiſſa ſalus, lævoque dolentes
Marte Seleſtadii demum conſiſtere in agro.

Alſatiæ Tabernæ (*Zabern*) armata manu captæ.

Deletum agmen Francorum.

* *Strasbourg.*

Fortunæ quàm nulla fides! quam mobilis errat
Ancipiti huc illuc greſſu! tot ſubdita Magnæ
Reginæ Hungaridûm felicibus oppida cœptis,
Tot latè adjectos tractus, atque arva, tot amplas,
Quas & corde foves, & quas ſpes Alſata tellus
Ac Lotharinga offert, Te res duriſſima cogit
Linquere; nec clades ſiſtit tamen ulla triumphos,
Sed ſubitò invadens armato milite, & omni
Robore collecto, Bohemica regna Boruſſus.
Illa Tuam poſcunt dextram, & victricia tecum
Agmina, Magnanime ô Princeps. Res plena timoris,
Quando in conſpectu ſtat Galli exercitus omnis,
Plurimus & miles Bavarus, quando ardua rurſum
Flumina non tenui ſunt trajicienda periclo,
Nec facile eſt aſtu ſolertes fallere Gallos.
En Lotharæ virtutis opus. Mox pectore conſtans
Immoto capis arma manu, cunctaſque cohortes
Auſtriadûm, Hungaridûmque jubes conſiſtere pugnæ
Intentos: ardet Gallis concurrere miles
Omnis, at, oblato fruſtra certamine, Rhenum

Receſſus ob invaſam Bohemiam ex Alſatia glorioſiſs. inſpectante hoſtili exercitu.

Digitized by Google

Impavidus, dum claram hoſti dat Cynthia lucem,
Trajicis: immoti procul adſtant ordine Franci,
Et Bavari teſtes, ſpectatoreſque ſtupendæ
Virtutis, Ducibus factum mirantibus ipſis.
Factum ingens, quod ſera olim miretur & omnis
Poſteritas, & quod, Princeps, non laude minori
Te facit illuſtrem, quam tot celebratus ubique
Laudibus antè fuit trajectus pontibus amnis!
Hæc pariter cantu nobis celebranda, favente
Purgata Boruſſis Bohemia. Calliope. Adjiciam purgata Bohemica Regna,
Et ferro ereptas infeſtis hoſtibus urbes,
Arceſque, ac pulſos totâ regione Boruſſos,
Et per Te ruptas, quas geſſerat antè catenas
Moldava nequicquàm indignans, tandemque recepta
Multis ſæpe malis vexatæ mœnia Pragæ.
Quô rapior? quô me temerarius avehit ardor?
Quis furor eſt, petere Icariis ſublimia pennis,
Infirmis aut velle humeris tot pondera ferre
Vix Magnis portanda Viris? quin ipſa laboret
Calliope, & tanta rerum ſub mole fatiſcat.
Quando ergo hoc ſolis poſſunt mea carmina votis;
Nec tenui vaſtum cymbâ dare vela per æquor
Parva licet, geſtis Dux ô clariſſime rebus,
In quo ſpes omnes nunc Belgica noſtra reponit,
In Cœlum Te Fama vehat pernicibus alis,
Sublimemque ferens magnis Heroibus addat!

APPROBATIO.

POmparicum lætumque Introitum, vel potiùs Reditum in Urbem Principem Bruxellenſem Sereniſſimi Principis CAROLI ALEXANDRI Lotharingiæ & Barri Ducis, Belgii Auſtriaci Gubernatoris, nec non glorioſa & heroica ejuſdem facinora immortali memoria digna, contra Bavaros, Francos, Boruſſos, alioſque Auſtriacæ Domûs hoſtes annis ſuperioribus patrata, eleganti venuſtoque carmine conſcripta à R. P. J. B. H. S. J. T. Poëta clariſſimo, prælo, luceque publicâ digniſſima cenſeo. Datum Mechliniæ 19. Aprilis 1749.

H. STEVART *Decanus S. Rumoldi, Cenſor Librorum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google